



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

15. Honor quem fratres sibi inuicem exhibent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

Ecccl. 23.

vindicare iniuriam suam, & non est ei dedecus: non erit tibi dedecus, imò honor, si exemplo Domini non vis vindicare teipsum. Gloria magna sequi Dominum.

Quarta pars. De honore, quem fratres sibi iniuriam debent exhibere.

CAPVT XV.

Sequitur de honore quem debent sibi fratres exhibere. Et primò quis honor iste sit, ostendetur: secundò, exhibitio mutui honoris commendabitur: tertio ostendetur quod in exhibitione discretio sit habenda, quartò, quod fratris inhonoratio multum sit cauenda. Circa primum notandum quod nomen honoris quandoque sumitur pro dignitate, vt ad Heb. 5. Nec quisquam sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Aliquando sumitur pro timore reuerentiæ quæ est affectio animæ quæ aliquis altitudinem alterius reueretur, & dicitur esse fuga vel resilitio ab altitudine alicuius rei in propriam paruitatem, & huic motui interiori respondet exterius elongatio vel fuga, qua humiles perfectè elongant se ab his qui sunt in dignitate positi, non audentes se appropinquare. Aliquãdo verò honor dicitur illud quod alicui personæ propter aliquam prælationem exterius exhibetur: quod aliquando fit gratia superioritatis ad ostensionem subiectionis, & ad ostendendum voluntatem paratam esse ad obediendum, vt cum aliquis assurgit venienti, vel assistit sedenti, vel inclinatur transeunti, vel cum

ince-

incedentem sequitur, vel coram eo genua fle-
 tit. Ad exhibendum hunc honorem monemur.
 Cui honorem, honorem. Et: Regem honori- *Rom. 13.*
 ficate. Aliquando exhibetur honor alicui pro- *1. Pet. 2.*
 pter prioritatem temporis, vt senibus, secun-
 dum illud: Coram cano capite confurge & ho- *Leuit. 19.*
 nora personam senis. Aliquando verò aliquis
 honorem exhibet alicui, quia ab eo sumpsit o-
 riginem, secundum illud: Honora patrem tuum *Exod. 20.*
 & matrem tuam. Aliquando verò propter ex-
 cellentiam in aliqua gratia: & sic exhibendus est
 omnibus. Debemus enim credere, quod omnes
 nos excedunt in aliqua gratia. Omnes honora- *1. Pet. 2.*
 te. Et super illud ad Phil. 2. In humilitate supe-
 riores inuicem sibi arbitantes, dicit glossa. Au- *Glossa ord.*
 gustinus. Non hoc ita debemus arbitrari vt nos *ibi ex Aug.*
 existimare fingamus: sed verè existimemus pos-
 se esse aliquid occultum in alio; quo nobis su-
 perior fit: etiam si bonum nostrum quo illo vi-
 demur superiores esse, non fit occultum.

Commendatio mutui honoris.

CAPVT XVI.

EXhibitionem honoris mutui inter fratres
 commendabilem reddit, Primò Scriptura
 sacra, quæ multum ad hoc hortatur. Honore in-
 uicem præuenientes. *Glos. Aliter non est frater-*
 nus amor, nisi mutuis se præueniat honoribus & *terlinearis*
 obsequiis. Subiecti inuicem in timore Christi. *ibid.*
 Reddunt etiam commedabilem exempla inter
 quæ præcipuum est exemplum Dñi: qui hominē
 voluit honorare. Honorauit eum creando, quia
 ad imaginem & similitudinem suam eum fecit.
 Hono-